

3

DE
V E N A P O R T A E,
P O R T A B O N O R V M ,

P R A E S I D E

P E T R O I M M A N V E L E H A R T M A N N O ,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITENQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS

MEDICI H. T. DECANO

D. XXVII. DECEMBRIS MDCCCLXXXVI.

DOCTORIS MEDICI HONORES

R I T E C A P E S S V R V S

P V B L I C E D I S S E R E T

C H R I S T I A N V S I M M A N V E L F R I D E R I C V S

H O L T Z H A V E R ,

D A B E R O - P O M E R A N V S .



T R A I E C T I A D V I A D R V M ,
E T Y P O G R A P H E O W I N T E R I A N O .

DE
VENA PORTAE
PORTA SINDONIÆ

PETRO ILLUMINÆ HARTMANNI


D. XXII DECEMBRIS MDCCLXXXII
D. DECORATIONE HONORES

CHARTERMASS IMMUNAL TIBERICAS

COLLEGIÆ VENÆ



TRAIETIA AD AIDRAM,
E TYPOGRAPHIO WINTERIANO.



PROOEMIVM.

GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS, vir, si quis vllus, acri ingenio aequa, ac subacto iudicio, pollens, anno superioris seculi nonagesimo octauo Halae elaboratissimam *de vena portae, porta malorum*, edidit dissertationem: quae vel ipsorum aduersariorum, et nuper quoque immortalis HALERI, laudes meruit atque adsensem. Malitiaene ergo tantummodo accuses hanc venam: quasi nihil sit bonorum, quae hinc exspectari possis? Dispiciamus proinde breuiter, lectorum venia, his de bonis. Existimamus enim

— — — felices homines, sua si bona norint.

A 2

CON-

CONTENTORVM SYLLABVS.

Venae portarum bona quotuplicia? §. I.

1. *in homine iam nato:*

a. *aduehendo*

aa. *sanguinem*

 a. *ex visceribus chylopoieticis; §. II.*

 b. *ex liene; §. III.*

bb. *adipem; §. IV.*

cc. *humorem et vaporem mixtum ex ventriculo; §. V.*

dd. *vaporem putridum ex intestinis; §. VI.*

ee. *vaporem aquosum ex cauo abdominis; §. VII.*

b. *auehendo; §. VIII.*

aa. *sanguinem ad venam cauam; §. IX.*

bb. *bilem ad duclus bilarios; §. X.*

cc. *lympham ad vasa lymphatica; §. XI.*

2. *in foetu:*

a. *aduehendo et suscipiendo sanguine materno; §. XII.*

b. *auehendo eodem ad hepar et venam cauam; §. XIII.*

§. I.

§. I.

Quoniam per rerum mearum rationes strictim omnia et velut in transcurso dicenda sunt, longa *venae portarum* descriptione anatomica non morabor lectors: qui eandem, vndeconque velint, ex recentiorum anatomicorum scriptis facillime repetere poterunt. Sufficiet praesenti instituto, nosse: huius *venae truncum*, in fina iecinoris parte, a singulari vallecula, duobus lobuli posterioris colliculis, caudato et papillaformi, interiecta, suscepit, velut cor quoddam minus aemulari; non quidem, quod alterna pulsatione valeat, quae omnino abest, sed quod in accipiendo ex minoribus vasculis, de quoque in nouos canales decrescentes dimittendo sanguine ad cordis similitudinem quodammodo accedit. Ex quo etiam *duplex* huius *venae cognoscitur officium*, si itineris sanguinei rationem habeas: *venosum* alterum; alterum velut *arteriosum*. Cuius utriusque officii cum aliqua in homine nascendo et nato deprehendatur differentia, ad hanc quoque nos, super bonis inde expectandis quaeſituros, attendere oportet.

§. II.

Primum igitur in iam *nato* aut *adulto* homine haec ipsa vena, tam in aduehendo, quam in auferrendo sanguine, plurimum bonorum pollicetur. Hinc quae oriantur, deinde videbitus. Illinc vero commune est vniuersi *sanguinis abdominalis*, ex visceribus peritonaeo comprehensis reducis, receptaculum:

A 3

culum: qui quam copiosus sit, vel exinde colligi potest, quod ille ipse est, quem tres magnae arteriae, aortae propagines, coeliaca et vtraque mesenterica, ad ventriculum, intestina, mesenterium, omentum, pancreas, lienemque miserunt; si forte exiguum eiusdem portionem exceperis, qua ipsi carni hepaticae arteria eiusdem cognominis, coelacae ramus, aliaeque id genus minores prospiciunt. Proxime vicinarum partium, verbi caussa, ventriculi, duodeni, pancreatis, et omenti, potiores rami, prope aut in ipsum venae portarum truncum confluent: reliqui paullo remotiorum viscerum in duo tresue maiores colliguntur ramos. Horum princeps maximusque ex inferiori loco adscendit, et ex infinitis ramulis, qui partium, quas perreptant, cognomina accipiunt, coit, tandemque, ubi hepar attingit, ipse fit venae portarum truncus: venam mesentericam magnam anatomici appellant.

§. III.

Cum hac (§. II.), aut etiam splenica, medius coniungitur insignis ramus, ab omnium infimis et sinistris ad duodenum usque ad surgens, maiori que prae reliquis arcu ab arteria sua cognomine recedens, cui *venae haemorrhoidalis internae* nomen est, coniungitur: haud raro tamen solus, medio ad priorum coniunctionem loco, ipsam portarum venam init. Sed a sinistris superioribus transuersim accedit alter grandior ramus, *lienalis*, susceptoque aliquot venularum ex iis, quas praetergreditur, partibus sanguine, tandem, sub recto angulo, cum mesenterico ramo in porrarum vena definit. Qua ex itineris ratione ille transuersus, hic adscendens dici solet

ramus.

7

ramus. Ceterum ceteris congenibus venis mollier
est splenica, minusque suo ramo arterioso serpen-
tina. Valuulis omnes, quas diximus, carent.
Quid boni accidat, in hominis salutem, sanguini in
splene, ancipitis adhuc et nondum expeditae apud
physiologos est quaestionis. Ipsum esse reliquo san-
guine fluidiorem, aqua et sale volatili alcalino ditio-
rem, oleosa vero portione pauperiorem, *Roloffiana*,
Spielmanniana, et aliorum a) experimenta demon-
strarunt. Cui bono? deinde coniectura adsequi
conabimur.

§. IV.

Tametsi vero lienalis haec vena (§. III.) ali-
quam sanguinis gastrici, duodenalis, epiploici, et
pancreatici partem, et coniunctim cum eodem,
quidquid humorum ibidem a bibulis venulis est for-
ptum, ad portarum venam reducat: tamen mesa-
raica vena (§. II.), et haemorrhoidalis interna
(§. III.), vbiunque definat, partim ex iisdem, quae
modo tetigimus, visceribus, partim ex vniuerso re-
liquo mesenterii et intestinorum tractu, quantus-

quan-

a) Mili, suspedio enecti, altero statim post mortem die excidit
PRAESES liensem, qui pondus vniarum undecim et quinque drach-
marum aequabat. Hunc minutum et tenuissime concisum vna cum
sanguine inde profuso in retortam indidit, destillationique, primo
moderato, dein sensim magis magisque aucto, igne, submisit.
Quo modo stillarunt spiritus alcalini volatilis vnciae septem, drach-
mae sex, et due scrupuli; empyreumatici olei drachmae duas,
minus novem granis. Spiritui illi vinoſo guttati admisitae sunt
spiritus salis drachmae duae cum scrupulo, donec perfecta sub-
confusa exploratione apparebat saturatio. Hic liquor denuo in
retorta destillationi er, sub huius finem, sublimationi subiectus de-
dit phlegmatis aquosi parum super septem vncias; salis ammoniaci
veri autem sex cum semisse drachmas. Ex quo colligi potest,
vinnosi salis circiter semunciam cum scrupulo in liene eiusque san-
guine latuisse.



quantus est, itidem redeuntem sanguinem suscipit, et portarum venae infundit. Quocum quos et quotuplices humores, et quoniam scopo, simul aduehat, nunc scire expedit. Quodsi ergo primo consideramus, magnam adiposae et oleosae materiae copiam in omenti mesenterique interstitia cellulosa, quam late vtrumque extenditur, ex innumeris osculis arteriosis deponi, ibidemque, ne in immensum et vitiouse augeatur, ex praestituta summi opificis lege, denuo insigni sui parte a patulis venularum osculis sorberi, vt cunque etiam aliquid tenuioris lymphae inde haustae lymphaticis vasculis concedas: tamen, quodcunque hinc ad sanguinem remeat, non aliud redditus iter inuenit, quam quod ad portarum venam dicit. Atque oleosa haec massa postea quoque miscendae et generandae bili exinie inferuit.

§. V.

Sed in his bonis, quae recensuimus, nondum substituit diuina prouidentia. Fac enim, ex pancreate, quod peculiari ductu suam saliualem lympham in duodenum depluit, parum alius liquoris, praeter sanguinem, ad portas remitti: videtur tamen a probabilitate non alienum, aliquid quoque tenuissimi illius vnguinis, quod telae acinis glandulosis circumpositae et interiectae cellulis continetur, ab remeantibus venulis sanguiferis et non a solis vasculis lymphaticis, suscipi, et ad portarum venam refundi. Longe autem maiorem merentur attentio-
nem *vapores* et liquores variii generis multiplicisque misturae, qui in ventriculo et toto reliquo intestino-
rum canali confluunt, et inter se velut conferuent.
Quippe in *ventriculo*, praeter saliuam cum cibo po-
tuque

tuque aduetam, confundi videoas ex arteriis exhalantibus limpidum humorem, gastricum vocant, lixiuae nonnihil, si purus sit, naturae; acescentem ex victu vegetabili; ex animali alcalescentem; rancescientem ex pinguitudinibus adsumtis; saponaceum denique ex bile saepe regurgitante. Adde muriatum ex vesco sale, plurimis cibis admixto. Ut silentio nunc praetereamus, quotuplicis generis plura medicamentorum adsumtio interdum in ventriculo commiscet. Sed ex multiformi hac pulte, antequam ad intestina propellitur, tenuiores particulas a patulis venularum osculis sorberi, adeoque ad venam portarum deferri, paucis exceptis lymphaticis, nemo ignorat.

§. VI.

Eadem multiplex colluvies (§. V.) regnat quoque in *intestinis*, praesertim *tenuibus*; nisi quod, nunc addita maiori bilis, saliuae pancreaticae, succique intestinalis, copia, quaecunque hic colligitur, multiplicis originis massa, magis magisque attenuata, intrita, atque soluta, magna ex parte in chylum convertitur. Hic, inenarrabili naturae opificis delectu, suam viam seorsim legit. Quod superest, perpetuo adstillante enterico liquore leuiter dilutum, aliquam sui partem sorbentibus venularum mesaracarum osculis cedit; sic tandem portarum venae infundendam: reliquam crassiorem et minus subactam portionem *crassa* suscipiunt intestina. Haec ibidem, diutius adhuc calido loco fota, et porro quoque exhalante ex arteriolis aquula mista, forte etiam tenuissimo appendiculum mesocolicarum oleo intrita,

B

tandem

tandem subputrescere, elementumque alcalinum volatile evoluere incipit; ex testimonio aëris mephitici et inflammabilis hic habitantis. Sed putridi huius vaporis et alcalescentis huius liquaminis haud exiguum quoque partem vascula inire mesocolica et haemorrhoidalia, quibus demum in portarum venam ingressus est, ipsae euincunt aluinæ faeces, per longiorem moram siccatae et foetore consueto orbatae.

§. VII.

Verum enim vero haud improbabile quoque videtur, per ipsos inorganicos intestinorum horum poros huius foetidi vaporis quidquam in *abdominis caueam* transmitti, et cum humore vndique ibidem per arteriolas perspirabili confundi. Quandoquidem ex anatomicorum experientia constat, aperto per incisionem abdomine cadaveris humani, longeque magis animalis cuiusdam viui, protinus sensibus percipi vaporem in hoc quidem adscendentem, in utroque autem madorem aquosum, leuiter pinguem, subfoetidum, et facile coagulabilem, omnes viscera et ipsius quoque peritonaei superficies, vbiunque offeruntur, illinentem. Neque tamen ideo negauerim, praeter intestina, ex his quoque locis, quae dixi, ipsoque hepate, madorem hunc perspirari, et vicissim iterum a bibulis venarum osculis hauriri. Vnde non offendar, si quis hunc ipsum humorem ad ipsam cauam venam per lymphatica vasa et peritonaei venulas reuehi contenderit: si modo concedat, insignem quoque eiusdem copiam a propaginibus venae portarum mesaraicis atque perioplicis, et id genus ceteris suscipi, sanguinique il-

luc

luc reddituro admisceri. Compendii cauſſa paucos quosdam et ad haec ſumme minimos venae noſtræ furculos, ex peritonaeo vteroque adrepentes, non attigi.

§. VIII.

Omnis ergo ſanguis; poſtremo demum in ve- nae portarum trunco confluens, ſicuti ex hac tenus diſputatis (§. II. — VII.) liquet, magis miſcellaneus ſit, quam reliquus corporis humani ſanguis venosus, oportet. Adde, quod longe aliter, ut alibi, ex arteriolis, cum ultimis venae portarum furculis conſpirantibus, ſuam maſſam ſanguineam accipit: pri- uatam quippe poſt tot tamque varia ſecretionum ne- gotia elemento, quod ſanguini arterioſo in eſt, ſpi- riutoſo. Solus lienalis ſanguis, ut rectiſſime monu- iſſe videtur illuſtris MAYERVS b), hanc inopiam quodammodo ſupplet. Cetera omnia, que adue- huncuntur, ſunt plena particulis oleofis adipofis, lym- pha vario ſalino, inprimis alcalino volatili, inquinamen- to foeta, et forte aliis multiplicis naturae, ex pulte cibaria ſorptis, diſſicillime definiendis. Verum enim vero huiusmodi ſanguinem admifceri ſibi aegre paſſus eſſet venae cauae ſanguis. Ergo ſummuſ opifex ſapientiſſime noſtræ portarum venae, vnico ſuī generiſ exemplo, arteriae quoque iniunxit officium; ut, quem ipſa aduexit, eundem ſanguinem iterum auferat, mutata priuus ipſius mixtione, ſeiunctisque alienis et inopportuniſ particulis, quam ab ramulis venae cauae luſciperetur.

B 2 §. IX.

b) In der Beſchreibung des ganzen menſchlichen Koerpers; IV. Band, pag. 482.

§. IX.

Scilicet mox ex integro suo trunco duo grandes ramos haec portarum vena in iecinoris carnem immittit, et, similis arteriae, innumeris, semper tamen decrescentibus, ramulis ad omnia dicti visceris loca, ipsamque adeo superficiem, exhalantibus huius originis osculis dispergitam, immo ad vicina quoque viscera, paruis tamen furculis, distribuit. Immo, ne singulis his ramis parietum defit robur, quo alioquin cum arteriis comparari non possunt, et ne lumina ipsorum adeo conniveant, circumiecta est vndeque firma tela cellulosa, capsulam vulgo vocant, reliquis etiam canalibus aliorum generum, cum nostris contiguis, communis. Pulsationis arteriosae autem defectum resarcit respiratio et inde excitata muscularum conspirantium in hepaticum viscus actio pressioque. Ita eluctatus ex angustiis horum ramorum sanguis tandem in extremis eorumdem finibus offendit venarum hepaticarum initia, cum prioribus inosculatione iuncta, a quibus liberatiter suscipitur, et nunc expeditiori via, quippe semper incrementibus ramorum luminibus, progreditur, tandemque per decem et plura satis magna vasa, in ipsam cauam venam, sub huius per hepar itinere, proxime sub ipso diaphragmate, effunditur, ipsum eorū cum reliquo fluento mox initurus.

§. X.

Inter haec vero venae portarum sanguis, dum per suos canales decrescentes hepaticos voluitur, premitur, ad parietes atteritur, et respirationis efficitur.

cacitate agitatur, inexplicabili artificio multiplicia, quibus constat, elementa separat, denuoque coniungit, quae se naturali adfinitate attingunt, verbi causa, alcalina et oleosa in nouam massam saponaceam arctius vnit; reliqua, ab hac mixtione alieniora, seorsim propellit; copiosiorem aquosam portionem, excepta ea, qua in seruanda ipsius sanguinis aut nunc natae bilis fluiditate opus est, aliorum mandat, atque sic omnia, quae secum in portarum venam aduerterat, denuo ad commoda, quibus afferri auchique iterum possint, loca transfert. Non disceptabimus iam de natura fabricaque acinorum hepaticorum, in quibus omnium qualiumcunque vasculorum, quae hepar perreptant, fines terminantur, sed haec subtilioribus anatomicis relinquimus. Hoc autem hoc loco ignorari non oportet: vbi cunque ultimae venae portarum radiculae desinunt, ibidem non venarum solummodo hepaticarum (§. IX.), sed alias quoque systematis vasculosi abductorii, duclum nimirum biliariorum, origines, quibus cum omnibus reliquis istis commercium est, deprehendi. Ab his nunc sorbetur nouus, ex sanguine venae portarum secretus, saponaceus humor, quem bilem vocamus: qui in propriis suis canalibus, in maiores, tandemque in duo, pedetentim collectis, ex hepatis carne tandem emergit; vbi, ad ipsum venae portarum truncum, bini eiusdem ductus coëunt in unum, choledochum dictum; quo duce demum in duodenum intestinum, vnde aliqua sui parte, ut diximus, venerat, effluit, multa bona ibidem chylo parando præstiturus. Pars eiusdem, antea ad cysti-

dem felleam singulari itinere reflua, tandem eandem viam relegit.

§. XI.

Sed *lympfa* etiam, ex propulsu sanguine hepatico et secreta bile superflues atque superflua (§. X.), quam partim copiosissimam ipsa portarum vena ex liquoribus saliuibus, gastrico, intestinali, periploico, mesaraicoque et vapore abdominali; partim quoque arteria hepatica et lienal is vena aduexerat, hic in intima hepatis carne, ut videtur vero consenteaneum, forte in ipsis acinis et ad fines minimorum cuiuslibet ex reliquis systematis vasculosi surculorum, inuenit sua, quibus reducatur et auehatur, vasa. Haec cum sint tenerima, et Glissonianae capsulae instrata potius, quam inserta, mox, ad evitandam fortassis nimiam compressionem, infinitis ramulis gibbam cauamque hepatis superficiem potissimum sectantur, et ad portas in primis in fasciculum colliguntur, cum fasciculo vasorum hepaticorum ibidem collectorum vnitum: unde, variis glandulis congregatis penetratis, ad chyli receptaculum ductumque thoracicum adrepunt. Gibbae vero partis lymphatica vasa sensim sub externo inuolucro in truncos colliguntur, et inter ligamenti suspensorii laminas descendunt, progressionis fine nondum satis definito. His ergo modis omni miscellaneo sanguine, quem portarum vena ad portauerat, hepar denuo liberatur.

§. XII.

Haec in natis iam et vitali aura frumentibus hominibus. Sed in *nascituro foetu* plura, praeter haec,

haec, et maiora bona promittit vena portarum. Omnis enim arteriosus *sanguis* maternus, quem infinita venularum, in placenta dispersarum, oscula sorperunt, tandem in insignem longamque confluit *venam umbilicalem*: quae, eiusdem cognominis annulum in media abdominis superficie transgressa, super peritonaeo ad hepar prorexit, tandemque ad insinuatum ligamenti suspensorii partem, perforato peritonaeo, in sulcum hepatis horizontalem demersa, retrorsum nunc flectitur, emissis, sinistrorum praecipue, numerosis, magnis, et eo tempore venae portarum aequalibus, in ipsum hepar ramis. Vnde magis, ac prius, tumida facta ad ipsam portarum venam tendit, et in confiniis sulci transuersi, leuiter inflexa, in ipsum sinistrum venae portarum ramum immittitur, adeoque in hunc et priores istos, quos diximus, ramos magnam sanguinis materni aduecti partem effundit, et per yniuersum hepar dispergit: quocum ibidem paucior sanguis abdominalis, quem iam minores venae portarum rami adduxerunt, commiscetur. Pars autem huius sanguinis umbilicalis, e directo insertionis huius venae, protinus in singularem pergit huiusc ramum, quem *duclum venosum* vocant, et ab eodem in ipsam venam cauam, vbi hepar attingit, infertur. In nato homine, deficiente nunc sanguine umbilicali, haec ipsa vena cum praedicto ductu sensim excoecatur, reliquos ramos hepaticos portarum vena sibi nunc vindicante.

§. XIII.

§. XIII.

Tantam igitur aduecti ex utero sanguinis molem (v. XII.) facile incommodo fore in foetu, immo proxime post partum, nisi auehendo eidem iam parati essent tot multiplicesque venae portarum rami, eidem aequa, ac suo sanguini, sicut antea ostendimus, communes, nemo non intelligit. Licet enim magna huius sanguinis portio statim per nominatum ductum hepar praeterlabatur: magna tamen, iam ante expositis ramis hepaticis suscepta, supereft, cuius ad venam cauam ipsumque cor progressio soli portarum venae eiusque distributis per hepar ramis in acceptis referri debet. Proinde cum his quoque modis foetus integritati conseruandae nostra vena inferuat; in adultis vero infinitorum bonorum, quae exposuimus, sit mater, si omnia naturae nostri corporis conuenienter apteque succedunt: cur mala, a turbato naturae ordine exorta, ipsi imputemus? Ex nostra igitur sententia portarum venarum

Innumerabilium simul esto porta bonorum!




✓

01 A 6631


ULB Halle
004 931 246

3





Farbkarte #13



3

DE
VENA PORTAE,
PORTA BONORVM,

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. DECANO

D. XXVII. DECEMBRIS MDCCCLXXXVI.
DOCTORIS MEDICI HONORES

RITE CAPESSVRVS

PVBLICE DISSERET

CHRISTIANVS IMMANVEL FRIDERICVS
HOLTZHAVER,
DABERO - POMERANVS.



TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

